Incipit prologus in sermones de tempore Jacobi de voragine.

HUmane labilis vite decursus salubri erudicione nos monet rebus non incumbere perituris: sed ea semper operari in terris quorum fructus perseuerat in celis. dicente domino. Operamini non cibum qui perit sed qui permanet in vitam eternam. Importuna igitur instantia fratrum non improba temeritatis audacia me induxit vt de euangelijs dominicalibus que per anni circulum leguntur aliquam facerem copulationem sermonum. Sed quamuis vires meas iudicij libra discutiens inueniam me scientie tenuis et ingenij tardioris: spero tamen quod defectum meum supplebit diuina bonitas et coadiuuabit fraterna caritas. et excusabit sincera quam gero voluntas. De quolibet autem dominicali euangelio tres sermones composui ad honorem indiuidue trinitatis et gloriose virginis matris. Quia vero in prima dominica aduentus non est idem euangelium apud omnes sed diuersimode dicitur a diuersis. ideo in primo sermone ipsius dominice propheticam assumpsi auctoritatem: in qua inducimur vt christo aduenienti cordis hospicium preparemus et sibi occurramus. per obsequia gratiarum. Et quia ordinem predicatorum diuina sum miseratione professus: ideo ad ipsius beati dominici postulanda suffragia deuotus assurgo. vt scilicet ipse apud dei misericordiam exorare dignetur vt presens opusculum ad laudem suam dirigat et ad legentium vtilitatem conuertat et michi ad meritum prouenire concedat. Amen.

Explicit prologus.

http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-477/0026
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
gefördert durch die DFG